



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 30. Ritus orandi. Cur ad orientem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Cur fers graviter tempus, quod tibi in requiem concessum est? non accepisset servus à Domino requiem, nisi tenebrae essent inductae in hanc praescriptam necessitatem. Quomodo autem in die saepe laborantes noctu requiescimus: & qui hesternò die fuit in laboribus, manè sit robustior, propter noctis quietem. Quid autem est ad sapientiam nocte commodius? in hac enim per saepe de Deo cogitamus in hac lectioni, & contemplationi, divinarum Scripturarum vacamus. Quando autem magis in psalmodiam, & orationem, mens nostra componitur? nunquid noctu: & peccata nostra per saepe noctu in memoriam revocamus. S. Cyrill. Jerof. Catech. 9.

Nocturna lacrymae quòvis rore magis contra concupiscentias, & ardores omnes, demittuntur. S. Chrysof. hom. 26. in Act. Vide hic plura de nocturna oratione.

Si es devotior, imitare lusciniam: cui quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilenam decurrit. S. Maximus hom. 2. de non timendis host. carnalib.

## §. XXIX.

*Orationes jaculatoriae frequentes.*

Orationes jaculatoriae meræ margaritae sunt. S. Vinc. Ferr. f. de Fidelib. def.

Exercitium, quod aspirationibus, brevibusque precepcionibus, constat, efficacis admodum est, ad vitia extirpanda, charitatemque promovendam. Blofius parad. an. c. 22.

## §. XXX.

*Ritus orandi.  
Cur ad orientem?*

Cur ad orientem versi orant Christiani? quoniam nostrorum honorabilissima quaeque ad Dei honorem seponimus, & est, hominum opinione solis ortus honorabilior, quam aliarum partes Mundi: propterea tempore precum spectamus omnes ad orientem. S. Justinus M. lib. quæst. Christianar. ad Gentiles q. 118.

Ex traditione Apostolica orandum est ad orientem. 1. quia ex Ps. 131. 7. adorandum est, *ubi steterunt pedes Domini*; qui Zach. 14. 4. in monte Olivarum in Oriente stare dicuntur. 2. quia Deus est lux vera. 3. ut respiciamus paradisum. 4. ad differentiam Judaeorum, qui ad Occidentem orabant; ut ex situ templi Salomonici colligit Anastas. Nicensis q. 18. 5. Tertull. contra Valent. c. 3. quia in aurora venit ad Apostolos Deus in Pentecoste. 6. S. August. l. 2. serm. D. c. 9. quia mo-

nemur convertere animum ad naturam praestantiorum, id est, Deum. Gavantus p. 2. tit. 5.

Invenio in Sacra Scriptura octo modos orandi, primus est, elevando oculos ex confidentia; secundus, deprimendo caput ad terram, ex verecundia; tertio, extendendo manus in altum ex indigentia; quartus, decussando ulnas ex conscientia; quintus, tundendo pectus ex conscientia; sextus, inclinando corpus ex devotione; septimus, flectendo genua ex subiectione; octavus prosternendo se totum ex defectione. S. Vincent. Ferr. l. 5. D. 16. Trinit.

Quae causa ritus in oratione levandi manus? 1. quia hic habitus supplicis, petentis, & sperantis auxilium ex alio: sicut submergenti manus extendunt tanquam auxilium petentes. 2. dat Clemens Alex. l. 7. Strom. quod elevatio manuum significet, & excitet mentis elevationem in Deum. 3. dat Tertull. Apol. 30. quod extensione manuum nos Deo offeramus, & quasi in manus ejus dedamus. 4. hoc ritu vehementiam affectus designamus, quasi vim Deo inferre; atque, praemagna fiducia, manu, quod petimus, prehendere velimus. 5. Dat S. Cyprianus de exhort. MM. c. 8. Theodoretus q. 34. in Ex. ut scilicet hoc gestu protestemur merita Christi crucifixi; eaque Patri, quasi efficacissimam ad impetrandum medium, offeramus. Cornelius in 1. Timoth. 2. 8.

*Miscellanea.*

*Et hymno dicto exierunt in montem Olivetum.* Matth. 26. 30. Audiant omnes, qui quasi porci, cum jam comederint, eversa mensam, calcibus mensam, temulenti confurgunt; cum agere gratias debeant, & in hymnum à mensa devenire. S. Chrysof. hom. 83. hic.

Scit Dominus, quid velimus; sed vult nos orare vocaliter pro excitanda devotione: quia quod facit flatus carboni, hoc facit pronuntiatio devotioni. Innocentius III. P. de sacro alt. myst. l. 5. c. 17.

Hic versiculus, *Deus in adiutorium meum intende, &c.* omnibus infestatione demonis laborantibus inexpugnabilis murus est, & impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus. Hunc versiculum meditantibus tibi somnus obrepit, donec incessabilis ejus exercitatione formatus, etiam per soporem eum decantare consuescas. Hic tibi expergefacto primus occurrat; is, te evigilante, cogitationes anticipet univcrsas. Joan. Casi. Coll. 10. quae est secunda Abb. Isaac.